



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XXV. Vnionis seu Congregationes Bursfeldensis in Germania origo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

CAPVT XXV.

Vnionis seu Congregationis Bursfeldensis in Germania origo.

Post Constantiensem in Germania Synodum celebratam, anno circiter salutis millesimo quadringentesimo vicesimo, Vnionis seu Congregationis Bursfeldensis Reformatio ^{1420.} sumpsit exordium. Huius auctor fuit *Ioannes Rodius*, Abbas cœnobij S. Matthiæ apud Treueros, qui ordinis Benedictini per Germaniam generalis visitator à Constantiensi Synodo constitutus, seipsum in primis ac monasterium suum reformauit, & decretorum à se editorum confirmationem à Romano Põtifice impetrauit. Inter cetera verò ordinis huius monasteria *Bursfeldia*, pauperculum Saxonix cœnobium, Reformationis istius decreta primũ suscepit anno millesimo quadringentesimo trigesimo septimo, & in *Reinhausense*, aliaque vicina aliquot Saxonix monasteria deriuauit. Mortuo deinde Ioanne Rodio, *Ioannes Hagensis*, Abbas Bursfeldensis, qui in monasterijs aliquot veterem disciplinam iam instaurarat, agente *Iacobo Treuerensi* Archiepiscopo, successor illi datus est. Sed cum nollet is pauperculum Bursfeldense suum cœnobium relinquere, alius in Rodij locum

locum vt generalis Reformatore est suffectus, sed exiguo admodum fructu. Itaque temporibus istis in Germaniam venit *Nicolaus Cusanus*, Cardinalis, & Sedis Apostolicæ Legatus, qui *Ioannem Hagensem* pietatis opinione celebrem ad se euocatum generalem Ordinis Reformatorem pronuntiauit. Quo factum est, vt idem Cusanus Conuentum seu Capitulum, vt vocant, annum pro conseruatione Reformationis institueret, Præsidis seu Præfecti domicilium è sancti Matthiæ Treuerensis cœnobio Bursfeldiam transferret, omniaque Reformationis decreta à Romano Pontifice curaret approbanda. Huic porro Bursfeldensi Congregationi pleraque Germaniæ, ac Galliæ Belgicæ monasteria sese aggregarunt, vt ex sequenti Catalogo patebit.

CAPVT XXVI.

Monasteriorum congregationis Bursfeldensis catalogus alphabeti serie digestus.

Abdinghoff.

ABDINGHOFFENSE præclarissimū monasteriū in Episcopali Vrbe Paderborna, loco amœnissimo situm, & à Meynverio, Episcopo Paderbornensi ordine decimo, an. Christi 1015. fundatum est in honorem SS. Apostolorum Petri & Pauli. Subdidit autem se hoc monasterium sacre Vnioni ac reformationi Bursfeldensi, an. Domini 1477.

AF-